

**Rector Et Concilium Academiae Fridericianae Buetzoviensis Civibus Memoriam
Resurrectionis Christi Pie Celebrandam Proponunt Praemissa Particula Quinta
Observationum De Supernaturali Spiritus S. Virtute**

Buetzovii: Typis Ioann. Gotth. Fritzii, [1779]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1830802577>

Druck Freier  Zugang



Mkl h

3494



Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1830802577/phys_0001




● entsäuert

zfb ME
05. Aug. 1999

Muller h.
3494

RECTOR ET CONCILIUM
 ACADEMIAE FRIDERICIANAE
 BUETZOVIENSIS
 CIVIBUS
 MEMORIAM
 RESURRECTIONIS
 CHRISTI
 PIE CELEBRANDAM
 PROPONUNT

PRAEMISSA PARTICULA QVINTA
 OBSERVATIONUM DE SUPERNATURALI
 SPIRITUS S. VIRTUTE.



BUETZOVII
 TYPIS IOANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. DVC. AVL
 ET ACADEM. TYPOGR.


1779.

RECTOR ET CONCIILIUM
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
DURAE NOVIENSIS
CIVIBUS
MEMORIAM
RESURRECTIONIS

CHRISTI
THEOPHILANDAM
PROFESSOR
FRANCKENBACHII CIVITATE
OBSERVATIONUM DE
SPECTU & VITAE



DURAE
THEOPHILANDAM
FRANCKENBACHII CIVITATE



I. N. J.



i, quæ superioribus commentationibus de supernaturali Spiritus s. virtute disputata sunt, probe perpendamus, nihil, *duodecimo loco*, in tota hac re inesse deprehendemus, quod libertati mentis humanæ officiat, aut eam tollat, gratiamve aliquam, ut vocant, *irresistibilem* inducat. Quod ut clare pateat, attendamus necesse est & paucis inquiramus, in quonam consistat libertas ista sive arbitrium animi nostri. Quælibet res, quæ sensus nostros internos aut externos afficit & sub intelligentiam nostram cadit, multa quasi latera animo nostro intuenda offert, multisque ac diversis respectibus a nobis considerari potest, ita ut alia ex parte alioque respectu speciem boni habeat, alio autem mali. Jam mens humana, Dei & creatoris optimi beneficio, ita comparata est, id quod in superioribus jam monuimus, ut ad unum alterumve respectum, quem res aliqua primo obtuitu nobis ostendit,

dit, unice contemplandum non sit adstricta, ut primo impulsui, quo ista res, vel sub specie boni vel mali, nos afficit, continuo cedere cogatur, sed in potestate nostra est positum, continere nosmet ipsos paulisper, & assensum & voluntatis decretum differre, dum omnes rationes, quæ circa rem istam omni ex parte in quæstionem venire possunt, attente circumspexerimus, & deliberando perpenderit. Hoc ipso consilio Deus nobis rectam rationem dedit, ut ponderatis omnibus rationibus id deinceps unice cogitemus & eligamus & sequamur, quod recta ratio optimum esse dicitur, represis contrariis rationibus & impulsibus, qui mentem in diversas partes trahere conantur. Ex his patet, libertatem & arbitrium nostrum eo usque extendi, quo vires intelligentiæ nostræ pertinere possunt, ut rem aliquam secundum omnes rationes, quatenus vel bona, vel mala est, contemplando complecti vivideque cogitare queamus. Nihil igitur libertati & arbitrio nostro relictum est non modo in iis rebus, quas plane ignoramus, sed & in aliis, quæ aliquo quidem modo in intelligentiam nostram cadunt, at ex uno tantum quasi latere, & secundum nonnullas tantum rationes. Tollitur igitur libertas, quando mens nostra, quibuscunque ex causis id accidat, ad unum duntaxat modum contemplandæ alicujus rei, aut ad nonnullas tantum rationes vivide cogitandas ita adstricta est, ut reliquas contrariasque rationes vel plane non capiat, vel certe obscure tantum easdem, nec in ea luce intueri possit, quæ sufficiat ad reprimendum istum impetum, quo in præsentia vel ad appetendum vel ad averfandum omnium efficacissime movemur. At nihil horum accidit in iis effectibus, quos Spiritus s. supernaturalis virtus in mente nostra gignit & producit. Res divinæ, quod ex superioribus commentationibus patet, quas animus humanus ob imbecillitatem virium-naturalium clare percipere haud valet, in ea luce ostenduntur menti, & cogitationes nostræ ad eam elevantur claritatem, qua opus est, ut iis uti, & consilia animi nostri ad eas applicare, easdemque, avertendo animum

5
mum ab aliis studiis, assensu & fiducia & obsequio amplecti pos-
simus, dummodo velimus. Nec igitur cogit hæc lux violento
modo mentem humanam, nec necessitatem aliquam ipsi affert;
sed in medio quasi ponit præclarissimas res in clarissima luce col-
locatas, ut summam earum præstantiam præ vanis rebus & stu-
diis percipere & sentire incipiamus, dummodo obstinato consi-
lio oculos ab iis avertere, cogitationibusque nostris ad alias res
vivide intuendas consulto deflectere & iis animum pascere noli-
mus; id quod Spiritus s. virtus, quantacunque efficacia in men-
tem humanam influat, arbitrio nostro relinquit. MATTH.
XXIII, 37. LUC. VII, 30. ACT. VII, 51. Idem accidit in
hac causa, quod etiam in naturalibus & civilibus rebus sæpe vi-
demus accidere. Cogita hominem, qui adhuc inconsiderato ani-
mo prava consilia secutus variis flagitiis perverfisque studiis se-
ipsum fortunamque suam pessumdedit. Fieri potest, ut ejus-
modi homo aut persuasionibus amici alicujus, aut aliis ex causis
graviter afficiatur: pravitas rationum vivendi, quibus adhuc
usus est, & necessitas animum & vitam mutandi, si salvus &
incolumis esse velit, & præstantia virtutis tanta luce se inge-
runt animo ipsius, ut clare percipere & sentire incipiat, quid
factu opus sit, ut excitetur efficacissime ad meliora consilia agi-
tanda, ut denique in bivio quasi positus & sibi ipsi quodammodo
redditus plane in sua habeat potestate, ex templo scelerum vi-
am deferere & se conferre ad virtutem. At fieri etiam nihilo se-
cius potest, & ejusmodi homines pro dolor! sæpius ita se ge-
runt, ut ejusmodi præclaras cogitationes subito ex animo efflu-
ere & dilabi sinant, aut etiam data opera eas supprimant, ille-
cebrisque scelerum tam cupide tantoque mentis impetu inhære-
ant, quo melior ista lux obscuretur rursus, nec ulla saniora con-
silia vim & constantiam quandam nancisci possint. Hæc ipsa est
via & ratio, qua Spiritus s. aggreditur hominis animum in re-
bus divinis. Hoc unum discrimen interpositum est, ut clara &
viva cogitatio rationum, quæ in rebus naturalibus & civilibus
adhuc

adhuc naturaliter in hominis animo locum habere potest, visque illa, quam illæ rationes in hominem exercent, cum ad res divinas perventum est non sit amplius ejusmodi quid, quo ratio & mens humana suis naturalibus viribus enti aut se eousque erigere & elevare possit; sed ista lux & vita, & ist sensus, & illa clara perceptio rerum divinarum additur & producitur supernaturali Spiritus s. virtute. Ac ut dicamus, quod res est, hæc Spiritus s. virtus restituit demum menti veram libertatem, & veram potestatem arbitrii, quod ad res divinas attinet, & reddit hominem sibi met ipsi; cum ante pravæ cupiditatis servitute premeretur, & vanarum rerum studiis teneretur captivus, nec per suas naturales vires hos nodos & vincula explicare & solvere possit: ut nunc demum incipiat ad semetipsum redire, & in sua potestate & arbitrio positum esse sentiat, sponte & consulto, prouti liberum hominem decet, aversari malum, dummodo velit, & ad verum bonum appetendum mentem applicare.

Nec est, *decimo tertio*, quod quis objiciat, his supernaturalibus effectibus, quos tribuimus Spiritui s. numerum miraculorum præter necessitatem in infinitum augeri. Etenim, inquit, quod supernaturali modo efficitur, miraculum est. Igitur nil nisi miracula accidunt in mundo morali & christiano, quotiescunque homo peccator vere emendatur, & ad bonam frugem reducitur; id quod sapientiæ divinæ videtur repugnare, ut citra necessitatem singulis fere momentis, prætermisissis causis secundis, seu viribus, quæ jam in natura rerum existunt, proxime per suam potentiam supernaturales effectus creet. Habere admodum multa, quæ ad hanc objectionem, nostra præcipue ætate ubique fere obviam, regerem. Sed in præsentia pro hujus instituti ratione rem paucis expediamus. Ac *primo* quidem hæc istos effectus, quos Spiritus s. in nostra mente supernaturaliter producere dicitur, miracula esse & ita vocari debere; quod quidem ipsum, quamvis suo modo recte dicatur & a multis theologis dictum sit, multis adhuc indiget cautionibus & limitationibus,

nibus, id quod deinceps docebitur: sed fac, inquam, istas Spiritus s. operationes *miracula* vocari posse & debere; conclusio tamen ista, quam hac ex re multi nostrorum hominum efficere cupiunt, vana est, nec ullam habet veram rationem. Id ut perspicue doceatur, nihil opus est, nisi ut istud, quod sumunt hi homines, *Deum per sapientiam suam miracula citra necessitatem non multiplicare*, paullo accuratius perpendamus, & quid veri aut falsi in hoc effato insit, distincte explicemus. Sunt, qui hanc ipsam rationem usque eo extendunt, ut omnes plane supernaturales eventus seu miracula e mundo tollant, cuncta fieri, dicentes, quæ nobis supernaturalia & miraculosa videntur esse, per occultas quasdam causas naturales, quas Deus statim ab initio creationis in nexu & natura rerum collocaverit quasi in insidiis tanquam absconditas quasdam machinas, ut suo tempore subito & ex improvviso prorumpant. Sed hæc tota recentior hypothesis de *miraculis*, ut vocantur, *præstabilis*, gratis & sine ulla idonea causa excogitata est. Nolim equidem eam hujus criminis postulare, quod evertat argumentum de divina origine scripturæ s. a miraculis petitum; etenim nonnulli præstantissimi viri & de religione divinitus revelata bene meriti, qui hac utuntur hypothesi, istud argumentum alia ratione sciunt in tuto collocare. Sed ipsa hypothesis in se spectata inanis est, & omni fundamento caret. Nam quod ajunt, non decere Deum, ut, cum causas omnium eventuum simul & unico creationis actu rerum naturæ intexere potuerit, subinde alios efficiat eventus, quorum nullas in rerum natura posuerit causas; id quidem affirmatur tantum gratis, non probatur vero, nec probari potest. Quid enim est, cur Deum non deceat, liberrimo consilio, prouti sapientiæ ipsius visum est, aliorum eventuum, quos prævidit, & ut eveniant, decrevit, causas in rerum natura ab initio præparare, alios vero suæ potentiæ reservare, ut omnipotenti ipsius voluntate sine causis naturalibus suo tempore ita accidant, prouti ipse ab æterno decrevit? Putasne fortasse plus laboris

laboris & molestiæ per hunc posteriorem operandi modum Deo creari, quam per istum priorem? Quis audebit, ex nostro iudicio & arbitrio Deo præscribere & præcipere, quomodo res & consilia sua instituere debeat. Potuit Deus sapientissimas rationes habere, cur nunc hoc, nunc illo modo decreta sua exsequi constituit. Tunc is es, qui has rationes perspicere, & *a priori*, ut ajunt, tuo arbitrio & iudicio metiri, & quoniam tu fortasse nullas ejusmodi rationes putas deprehendere posse, inde conficere possis, nec Deum ipsum decere aliud agere, quam quod tibi videtur agendum esse. Utique, quæ Deus ab initio creavit, sola ipsius omnipotenti voluntate effecta sunt, ac propterea vera miracula dici debent, quæ vero deinceps supernaturaliter accidunt, per eandem omnipotentem Dei voluntatem eveniunt. Quod ad Deum ipsum igitur attinet, una eademque actio omnipotentis suæ voluntatis est, qua tum res primitus creatæ existunt, tum & omnes illæ, quæ postea supernaturaliter & miraculose producuntur. Voluit & decrevit Deus ab æterno, ut hæ res & hi eventus suo tempore existant. Quid jam interest, quod ad ipsum Deum attinet, & qua, quæso, ratione nobis sumere possimus potestatem discernendi, utrum sapientiam ejus deceat, causas hujus vel illius eventus ab initio statim per miraculum quoddam præparasse; an vero in ordine rerum & temporum deinceps demum eodem miraculo rem aliquam existere velle? Per hanc ipsam rationem aliud argumentum destruitur & evertitur, quod ad suffulciendam istam hypothesein miraculorum præstabitorum, ab immutabilitate Dei & decretorum divinorum peti solet. Quomodo fieri potest, inquiunt, ut Deus voluntatem & decreta sua subinde mutet, ut, quod antea non creavit, nunc demum creare velit, ut denique formam istam, qua primitus naturam rerum existere voluit, evertat, & per miracula novam formam, ab ea, quam ab initio delineavit, diversam inducat? Sed confundunt isti, qui ita rationes subducunt, decreta divina ipsa, cum modo, quo Deus decreta sua exsequi con-

9

constituit. Quidquid accidit in mundo, voluntate divina accidit, aut positiva & effectiva, aut permisiva. Atque hoc totum Deus simul & unico voluntatis suæ actu ab æterno decrevit. Hoc igitur unico decreto continentur omnes eventus mundi, sive jam per causas antea jam præparatas accidant, sive proxime per potentiam divinam sine hujus generis causis, in rerum natura jam obviis. Decrevit Deus, ut hæ res eveniant, aliæ quidem per causas, quas antea jam miraculose creavit & in natura rerum ad futuros usus quasi reservavit, aliæ per aliud miraculum, quod in ordine rerum post aliquem decursum temporum demum omnipotenti sua voluntate accidere debet. Igitur forma ista, quam Deus ab æterno delineavit, ut mundus cum eventibus suis hoc modo existat, complectitur simul omnes miraculosos eventus, nec Deus mutat consilia & decreta sua, neque etiam delineationem rerum ab initio institutam evertit aut novam nunc demum inducit; sed modus duntaxat, quo Deus æterna sua decreta & consilia exequitur, & delineationem istam mundi re ipsa producit, diversus est, ut aliis eventibus præparaverit causas suas ab initio creationis, alios suo tempore omnipotenti sua voluntate accidere jubeat. Ac hic ipse quidem diversus modus per idem istud æternum & unicum decretum a Deo constitutus est, ut quælibet res hoc vel illo modo, prouti sapientiæ suæ visum est, eveniat. Deinde quod dicunt, *citra necessitatem* Deum miracula non creare, quo argumento hypothesis istam confirmare satagunt, quod Deus ab initio statim causas omnium eventum præparare, nec aliquid novis miraculis relinquere debuerit, id quidem multiplici modo tum reprehendi potest, tum accuratius explicari debet. Etenim istud certum est, quanquam in universum recte dicatur, Deum *citra necessitatem* miracula non edere, quod ista necessitas non de impotentia quadam ex parte Dei intelligi possit, excluso liberissimo & sapientissimo consilio, quasi Deus tum demum eventum aliquem miraculose efficiat, si aliqua ipsi necessitas imponatur,

ut cogatur agere, nec actionem intermittere, aut aliter agere omnino non possit. Sed totum hoc ad sapientiam divinam referri debet, ut vocula ista, *citra necessitatem*, hanc habeant vim, Deum miracula non edere, nisi sapientissimæ adsint rationes, cur hunc modum agendi præferat liberrimo consilio viæ naturali. Jam vero recurrit istud, quod supra dictum est, nostrum non esse, ut definiamus, utrum in aliquo casu ejusmodi rationes adsint? Tune is esse putas, qui hocce judicium tibi arrogare possis? Non nobis datum est, scrutari consilia divina ante, quam ipse aut oraculis, aut ipso eventu eadem declaraverit. Miracula in factis versantur, ideoque ut omnes ejusmodi res non subtilibus & vagis disputationibus expedienda, sed secundum leges fidei historicæ dijudicanda sunt. Quodsi ipsum factum probet & testetur, Deo ejusmodi viam placuisse, quæ per causas naturales explicari haud potest, non decet nos, hocce factum truncare, torquere, veramque ejus faciem corrumpere, quia nobis nullas sapientiæ causas deprehendere videmur; sed nostri officii est, certo statuere, sapientiam divinam gravissimas habuisse rationes, cur viam supernaturalem eligeret. Denique sumunt patroni istorum miraculorum præstabitorum argumenti loco id ipsum quod probare deberent, seu nil nisi *petitiones principii* committunt. Etenim conclusiones ipsorum hoc principio implicite nituntur, omnes eventus mundi, quos Deus evenire vult, ejus conditionis esse, ut per causas aliquas naturales, in rebus antea jam creatis latentes, effici & produci possint. Hoc autem non modo gratis sumitur, sed omnino falsum est. Multi eventus ita comparati esse possunt, ut per causas in rerum natura jam latentes produci ipsorum naturæ repugnet. Hinc si Deus liberrimo & sapientissimo consilio hos eventus existere jubet, eodem isto sapientissimo consilio constituit, ut supernaturali via per omnipotentem suam voluntatem existant. Sophismatis illius ii præcipue rei sunt, qui ex ista ratione, quod Deus miracula citra necessitatem non perpetret, operatio-

rationes supernaturales Spiritus s. in animo humano impugnant. Sumunt enim, quod non probant, nec probare possunt, naturales hominis vires ad immutationes istas animi producendas sufficere, quas a Spiritu s. supernaturaliter effici affirmamus. Hoc quidem si verum esset, tunc sequeretur, ut sapientiæ divinæ consentaneum haud sit, hos effectus supernaturali via producere; quoniam hoc pacto miracula aperte citra necessitatem multiplicarentur, ac id, cujus causæ naturales sufficientes adsunt, sine ulla ratione supernaturaliter fieret. Atqui istud primum falsum est; ergo & postremum. Si fieri potest & re ipsa factum est, ut genus quoddam creaturarum sua culpa vires, quibus ad obtinendum finem indiget, cujus gratia creata est, amiserit, seque in eas angustias conjecerit, unde suis viribus eluctari, & ad istum finem eniti haud possit, nisi supernaturale quoddam & divinum accedat auxilium, quo miseræ istæ creaturæ eleventur rursus ac sensim ad pristinum statum reducantur; omnino absurda & repugnantia profers, si contendere velis, salutem istarum naturali via reparari posse, atque propterea supernaturalem viam, sive miraculosam citra necessitatem adhibitum iri. Huic quidem, qui ita rationes subducit, probandum incumbit, in infinito numero rerum, quæ existere possunt, nullum esse posse genus rationalium naturarum, quod in istum statum sua culpa incidere possit, nec sapientiæ divinæ convenire, ut ejusmodi creaturas produxerit Deus, quas quidem tam fiebili lapsu sese inquinaturas prævidit, sed quæ supernaturali quodam adjumento ad beatum finem obtinendum restitui possunt, ac id quidem eo modo, qui rationali naturæ ejusque libertati congruit. Ad hanc quæstionem tota hæc causa tandem redit. Quam sicuti nemo adhuc adversariorum perspicuis argumentis explicavit aut refutavit, nec ab ullo unquam homine id præstari posse confido; ita scriptura s. nos luculentissime docet, re ipsa ejusmodi lapsum generis humani accidisse, cui mederi ita Deus constituit, ut corruptis & misere depravatis hominibus supernaturali suo auxilio subveniat.

veniat. Adversus hanc igitur rem obiectio ista, de miraculis non citra necessitatem multiplicandis, vana & inanis est, & meris sophisticationibus continetur.

Adhuc ita disputavimus, quasi supernaturales Spiritus s. operationes vera sint miracula, & ita dici debeant; sed ne quidem necesse est, ut id concedamus. Operationes istæ non sunt miracula, si accurate loqui & huic voci vim suam propriam tribuere velimus. Etenim *primo* secundum linguæ usum isti tantum eventus miracula vocari solent, qui ad mundum corporalem & adspectabilem pertinent, & ita accidunt, ut ex viribus corporum motricibus secundum eas leges evenire haud poterint, quas Deus materiæ & corporibus natura insitas esse voluit, ut si v. c. corpus hominis vere mortuum in instanti & ex templo ad vitam restituitur. At nihil horum accidit per operationes Spiritus sancti supernaturales, quas in mente hominis virtute divina efficit. Quidquid Spiritus s. via ordinaria ad salutem hominum operatur, versatur unice in immutandis animi consiliis & agendi rationibus. Nullæ adduntur homini vere christiano vires, per corpus ejusque membra alias efficiendi actiones externas, quam quæ virtute corporis naturali & secundum leges motrices naturales effici & produci possunt, & in potestate cuiusque hominis naturali positæ sunt. Totum discrimen, quod inter actiones externas & corporeas hominis a Spiritu s. animati, & reliquorum hominum sibi met solis relictorum intercedit, ad internas redit rationes, quibus ductus quisvis has actiones suscipit & exercet, nec actiones externæ hominis christiani, quæ ex fide & amore Dei proveniunt, alios habent eventus in mundo corporeo, quam si alius quisquam easdem ex rationibus avaritiæ aut ambitionis, aut ex quavis alia causa suscepisset. Finge duos aratores: alterum sensu vere christiano imbutum, alterum hominem avarum solis divitiis hujus sæculi cumulandis intentum. Hunc postremum non negabis eadem cura & diligentia externa posse agrum colere, quam prior adhibet. Fac igitur,

tur, utrumque parē adferre laborem & curam, & in utrolibet casu reliquas causas naturales, v. c. indolem agri, easdem esse; utique avarus eundem in mundo corporeo feret fructum laboris sui, ac christianus, nimirum largam mensuram. Quæ de benedictione divina ratione externi laboris hominum præcipiuntur, ad hunc locum non pertinent. Nec enim Deus prosperos istos eventus diligentæ externæ, quos nonnunquam alteri præaltero tribuit, per miraculum quoddam efficere solet, sed per occultam concatenationem causarum naturalium, quam prospexit, & per providentiam suam ordinariam ad hunc finem dirigit. Deinde voce miraculi talem indicare solemus effectum, cujus aut plane nullæ in rerum natura adsunt causæ secundæ, quibus Deus utatur; aut si vel maxime Deo placeat, in producendo aliquo effectu aliquam hujus generis causam tanquam instrumentum adhibere, ut tamen nec vires, quas huic rei natura indidit, sufficiant, sed supernaturalis concursus & efficacia divina accedat, nec etiam ipsa hæc supernaturalis efficacia cum instrumento isto in rerum natura obvio, semper & perpetuo & in omni casu ita conjuncta sit, ut dummodo ista re uti velis, semper & continuo supernaturalis adsit effectus. Sic Christus per pauculos panes & pisces aliquot millia hominum ad satietatem nutrit. Hic Dominus adhibuit causas secundas in rerum natura obvias; sed easdem naturali sua virtute huic effectui edendo haud suffecisse, in confesso est. Supernaturalis virtus Christi supplevit totum istud, quod naturales vires horum panum & piscium excedebat. Nec tamen Christus usquam cum ullo aliquo panis aut piscium genere supernaturalem istam virtutem ita conjunxit, ut ubicunque his edulis quis utatur & vescatur, continuo & simul & unico actu exoriatur supernaturalis aliqua nutritio aut sanatio corporis. Sed fac, Deum decrevisse & velle, ut cum ulla aliqua re, quæ in rerum natura jam obvia & ubique præsto est, ut quivis dummodo velit, ea uti possit, omnipotens ipsius virtus ubique & semper & in omnia casu secundum

dam certas & constantes leges effectus certos supernaturales, antea constitutos & decretos, & hominibus promissos, producat, dummodo quis his externis rebus velit uti; tunc certe hi eventus, ut ut supernaturales sint, miracula tamen proprie sic dicta vocari haud possent. Hujus generis aliquid Deus in paradiso videtur ratione vitæ corporalis hominum, per arborem vitæ constituisse. Simili plane modo se res habet cum internis animi motibus, quos Spiritus s. mediante verbo suo, inter homines ubique jam obvio, supernaturaliter producit. Hinc & in ipso regno gratiæ ingens discrimen recte statuitur inter hos effectus supernaturales *ordinarios*, quos virtus divina intercedentibus iis rebus, quas in rerum natura jam adesse & in sensus externos omnium hominum incurrere voluit, secundum certas & constantes & uniformes producit regulas, & inter alios eventus, qui sine ullis his causis secundis earumque usu præter ordinem efficiuntur. Hos posteriores *miracula* in regno gratiæ recte vocaveris, priores non item.

Possent hæc latius disputari; sed prohibemur in præsentia angustiis limitibus hujus scriptionis. Hoc unum adhuc, CIVES, dictum vobis esse cupimus, ut his festis diebus placido & sedato & attento animo verbo divino utamini, legendo & audiendo & meditando, nec ulli levitati mentis aut turbulentis grassationibus aliisve indecoris rebus locum relinquatis, quæ animum distrahere, & salutarem fructum istius divini verbi in vobis & in aliis impedire possint.

P. P.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA
 BUETZOVIANI
 SUB SIGILLO ACAD.
 FESTO DIE, MEMORIAE RESURRECTIONIS
 CHRISTI DICATO,
 MDCCLXXIX.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

LBMV Schwerin
000 749 907

33




Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1830802577/phys_0019







naturales Spiritus s. in animo humano impugnant. quod non probant, nec probare possunt, naturales ad immutationes istas animi producendas sufficere spiritu s. supernaturaliter effici affirmamus. Hoc si effectus, tunc sequeretur, ut sapientiae divinae non esset, si effectus supernaturaliter fieret, ut effectus supernaturaliter fieret. Atqui istud primum & postremum. Si fieri potest & re ipsa factum quoddam creaturarum sua culpa vires, quibus ad obsequium indiget, cuius gratia creata est, amiserit, sequeretur, unde suis viribus eluctari, & ad istum statum possit, nisi supernaturale quoddam & divinum auxilium, quo miseræ istæ creaturæ eleventur rursus ad primum statum reducantur; omnino absurda & reprobata, si contendere velis, salutem istarum naturarum posse, atque propterea supernaturalem viam, sive gratia necessitatem adhibere iri. Huic quidem, quod subducit, probandum incumbit, in infinito numero existere possunt, nullum esse posse genus rariorum, quod in istum statum sua culpa incidere non possit, ut ejusmodi creaturas, quas quidem tam flebili lapsu sese inquinatas, quæ supernaturali quodam adjumento ad beatum statum restitui possunt, ac id quidem eo modo, qui ad ejusque libertati congruit. Ad hanc quaestione causa tandem redit. Quam sicuti nemo adhuc perspicuis argumentis explicavit aut refutavit, quam homine id præstari posse confido; ita scribentissime docet, re ipsa ejusmodi lapsum generasse, cui mederi ita Deus constituit, ut corruptis hominibus supernaturali suo auxilio subveniat.